

ista conclusio patet ex observancia universalis ecclesie quam spiritu sancto inspirante acceptavit ut in honorem tanti sacramenti in os cristiani prius dominicum corpus intret quam ceteri cibi ut habetur ex dictis augustini ad ianuarium de consuetudinibus ecclesie libro primo ubi sic dicit quod salvator quo vehementius commendaret institutionis illius altitudinem ultimum voluit hoc infigere cordibus et memorie discipulorum a quibus per passionem discessurus erat et ideo non precepit quo deinceps ordine sumeretur ut apostolis per quos ecclesias dispositurus erat reservaret hunc locum